

21

18

1787 2.


IO. CHRIST. ESCHENBACH,
PROF. IVR. ET ACAD. RECTOR,

DIES FESTOS
NATIVITATEM
SALVATORIS MVNDI

IN MEMORIAM REVOCANTES
PIE CELEBRANDOS

COMMENDAT.


7487



IVNCTA EST
DE DOLO INDIRECTO
DELINQVENTIVM
IN PRIMIS HOMICIDARVM
COMMENTATIO.



KÖNIGLICH
UNIVERS.
ZV HALLÉ




ROSTOCHII,
LITTERIS ADLERIANIS.



IO. CHRIST. ESCHENBACH
THEOR. VIZ. ET ACAD. RECTOR
DIES FESTOS
NATIVITATEM
SALVATORIS MUNDI

IN MEMORIAM REVOCANTES
SIC CELEBRANDOS
COMMEMORAT


IN VINDIA EST
RE DOLO INDIRECTO
DREI NOVENTIVM
EXTRINIS HOMIGIDAVM
COMMEMORATIM



POSTOCEM
PETERES ADPERRAS

Handwritten scribbles or initials in the right margin, possibly a library or collection mark.






DE


DOLO INDIRECTO DELINQVENTIVM,
INPRIMIS HOMICIDARVM.

§. I.



ogma iuris criminalis de dolo indirecto delinquentium, eiusque intuitu poenae effectibus, repetita meditatione haud indignum videtur. Qui curatiorem eius explicationem tentarunt,

CARPZOV, *Qu. I. nr. 15. sqq.* LEYSER, *Sp. 603.* BOEHMER *ad Carpz. Qu. I. Obs. 2. et in medit. ad C. C. C. art. 137. §. 4. sqq.* et NETTELBLADT *in diff. de homicidio ex intentione indirecta commisso,* a) non omnino consentiunt. Reliqui aut horum tantum effata repetunt, e. g. KOCH, *§. 12. 439. sq.* QVISTORP, *§. 35. 223.* FÜTTMANN, *§. 36. 280.* et WESTPHAL *3. u. 91. Ann., au-*
A 2 tran-



transitorie tantum eius meminerunt, forsitan, quid ipsi statuunt, ambigentes, e. g. KRESS *ad art. 146. §. 2. n. 1.* et MEISTER, §. 40. 76. b). His nuper superuenit ANONYMVS, qui commentum hoc doctorum, cui nec iustam notionem respondere, nec leges suffragari contendit, expungere, et in distinctione delicti dolosi et culposi subsistere, suadet in scripto, cui titulus: *die Chimäre des Todschlags aus indireclem Vorsatz*, inserto *dem Kielschen Magazin vor die Geschichte, Staatsklugheit und Staatenkunde, 1. Band, 3. Stück, nr. 24.* Denno itaque argumenta, quibus quisque usus est, expendamus c).

- a) Vberiore etiam eiusdem explicationem expectavi in BRÜCKNERI *progr. de quaest. an homicidium absque animo necandi sit capitale et unde probetur, occas. l. 24. ad L. Corn. de sicar.* sed spem meam fefellerit auctor, qui hanc distinctionem silentio praeteriit.
- b) Nec ampliorem explanationem inuenies in *den rechtl. Erkenntnissen, Dec. 100.*, licet inscriptio disquisitionem, *homicidium an dolo indirecto an culpa commissum sit, qua ratione cognoscatur*, promittat.
- c) Proposita distinctione animi occidendi in directum et indirectum. hunc rursus in late sumtum, quem homicidio culposo cohaerere dicit, et stricte talem, qui cum dolo vero coniunctus describitur, subdiuidit BOEHMER *ad art. 137. §. 4. 5.* Sed haec subdiuisio, quicquid demum indicet, omni casu superflua et inutilis videtur.

§. 2.

Quum illi, quorum potissimum asserta et argumenta examinanda sunt, non ad omnia delicta, sed ad homicidium solum respiciant, eorum vestigia premere, et primum in animum occidendi indirectum inquirere satius duco. Difficilis haud erit postea transitus ad reliqua criminum genera.


§. 3.

In legibus nec nomen doli indirecti nec notio occurrit, quas enim vulgo hunc in finem citare soleant, aut perperam allegantur, aut definitionem aliis rationibus iam comprobata supponunt. Perlustremus itaque definitiones eorum, qui de animo indirecto scripserunt, et videamus, quatenus iustis rationibus suffulciantur.

I. CARPZOV de notione distincta non satis sollicitus festinanter nimis ad quaestionem, num ultimo supplicio locum dare possit, properat: verba enim n. 32. obuia, „*voluntatem directam habet, qui occidendi animo aliquem aggreditur, indirectum, qui vulnus infligit, ex quo immediate sequitur homicidium,*“ iustam definitionem haud continent.

II. Nec LEYSER definitionem omnibus numeris absolutam exhibet. Animum indirectum adesse statuit in quouis facto illicito, animo nocendi suscepto, quoties praevideri potuit, mortem inde sequi posse: haecque pro scopo, quem sibi proposuerat, sufficere poterant.

III. BOEHMER hanc descriptionem praemittit, „*quoniam occidendi vel ad solam necem dirigi et vocari directum, vel ad laesionem principaliter, ad necem vero eventualiter, et vocari indirectum,*“ eique sex requisita subiungit ad infligendam poenam capitalem necessaria, scilicet 1) vt reus in re illicita versetur, 2) vt animus nocendi factis declaratus liquidus sit, 3) vt de odio occidentis erga occisum constet, 4) vt laesio vltro et sine facto occisi, quod constantissimo bilem mouere potest, illata sit, 5) vt ex tali facto occisus perierit, vnde quilibet, qui sensum communem habet, colligere potest, illud adhibita etiam omni solertia facile lethale fore, et ordinario, seu, vt loquuntur, per



per se, necem producere, et 6) ut vulnus lethale inflictum sit. Unica harum conditionum demta culposum tantum homicidium committi adicit, *l. c. §. 4. 6. 7.*

IV. NETTELBLADT denique §. 22. haec quatuor requisita in omni homicidio ex intentione indirecta desiderat, 1) factum vel non factum sponte admissum, unde homicidium per se sequutum, 2) animum nocendi, 3) homicidam directe non intendisse mortem, et 4) homicidium ex facto vel non facto aequae facile sequi potuisse, ac quod intendit, inquisitumque hoc sciuisse. Definitiones praecedentes praetermittere liceat, quum rem magis implicant quam explicent.

§. 4.

Collatis his omnibus, si iam dicendum est, quid ipse statuam, tria supponenda videntur, ut homicidium ex dolo indirecto commissum dici queat, nimirum 1) *ut homicida delictum quoddam leuius dolo directo aggressus sit, quod praeter intentionem delinquentis homicidii subsequuti causa fuit, 2) ut factum delinquentis ita comparatum sit, ut consecutaria ab arbitrio agentis haud pendeant, et 3) ut factum delinquentis unica sit mortis causa.* Saepius scilicet evenit, ut delinquens partem delicti ex proaeresi suscipiat, pars altera contra praeter opinionem eius accedat. Culposum hoc casu dici nequit, quia reuera dolus intercessit, neque tamen dolus ad omnem delicti ambitum pertinet. Diversas itaque doli species distinguendas existimarunt Doctores. In iure civili hanc distinctionem negligimus, quum lata culpa dolo iam aequiparari soleat, adeoque de speciebus doli ulterius circumspicio utilitate destituatur; neque minus, si pars delicti accedens poenam


poenam non auget, in causis criminalibus superflua est: sed si pars ista accedens poenam aggrauat, omnino curatiorem disquisitionem meretur.

§. 5.

Dicam nunc rationes, quibus adductus sententiam Doctorum antea commemoratorum, imprimis BOEHMERI, aliquantum immutavi.

I. CARPZOV re ipsa a me dissentire non videtur. Expresse enim 1) *animum delinquendi* supponit, *nr. 52.* ac voluntatem iniuriam irrogandi et faciem cicatrice signandi, *nr. 15.* in exemplis etiam vulneratio hominis proaeretica, quae homicidio occasionem praebuit, rationem decidendi continet. 2) Requirit porro, delicti auctorem verisimiliter cogitasse, vel cogitare potuisse ac debuisse, de eo, quod facile successurum erat, *nr. 29.*, quod vnum idemque est cum eo, quod ego secundo loco posui, requisito. Verba immutanda existimaui, quum indoles facti facilius diiudicari possit, quam cogitationes delinquentis, quarum exactam notitiam rarissime index consequitur. Ad hanc facti qualitatem ipse respicit, quum paullo post vulnera ad mensuram non dari monet, *nr. 30.* Tandemque 3) ex *nr. 31.* et *63.* apparet, eos excludi casus, in quibus mors per accidens, non immediate et per se subsequitur.

II. Neque magis alienus est LEYSER. Haud vituperemus virum de iure nostro meritissimum, quamvis in exterminatione praedicatarum opinionum haud raro limites ex altera parte transgredientem, quod nomen doli indirecti improbet, et *voluntatem nocendi*, quam magis latinam et *l. 1, C. ad leg. Corn. de sic.* suffultam, reputavit,



tauit, substituat. Licet enim loquutionem aequiuocationibus haud obnoxiam et vsu loquendi iam dudum receptam praeferam, tamen de nomine facile transigamus, modo in re ipsa differentia ablit. De quo nullus dubito, quum 1) voluntatem nocendi *med. 7.* eoque extendat, vt sine proposito vulnerandi aut corpus laedendi concipi queat, et in exemplo subiecto iniuriam realem sufficere doceat; simulque 2) factum illicitum supponat, ex quo mortem sequi posse, praevideri poterat, et 3) lethalitatem vulneris abesse non debere *in Spec. 602. m. 3.* doceat. Pro instituti ratione saepius non omnem ambitum quaestionis propositae tetigit.

III. E contra doctrina BOEHMERI tantopere ab his principiis recedit, vt primum de omni conciliatione desperarem: qui enim *eventualiter* caedem alterius in votis habuit, directum occidendi animum habet, non indirectum: hic tantum adest, si *praeter* omnem *intentionem* mors sequatur. Postquam autem sex ista requisita, ex opinione auctoris qualitatem homicidii ex animo indirecto commissi indicantia, exactius consideraeram, in iisque nihil de hac *eventuali* voluntate deprehenderem, intellexi, vocem *eventualiter* in sensu improprio adhiberi, et idem denotare, quod in requisito quinto more consueto traditur: istique loquutioni brocardicon vulgare, quod ex consensu in antecedentia consensum in subsequencia deriuare non dubitat, (HELLFELD *iur. for. §. 291.*) originem dedisse. Haec interpretatione admissa, habitaque ratione moniti, quod in *§. 7.* subiungitur, requisitis istis non solum notionem, sed etiam *conditiones*, sub quibus *coniunctim* poenam capitalem meretur eiusmodi homicidium, definiti, conciliatio ista aliquantum videtur facilior. Nimirum *primum quintum* et *sextum* ex his requisitis cum iis coincidunt, quae

§. 4.

§. 4. ipse proposui. *Secundum* ad notionem non pertinet, sed ad probationem, adeoque omitti potest: *quartum* contra ad poenam capitalem respicit, quam exceptio iusti doloris eodem modo mitigat, ac in homicidio directe doloso. Restat itaque nonnisi *tertium* requisitum, quod omni prorsus fundamento destitutum videtur: quum enim in homicidiis directe dolosis non attendatur, sed, qui alterum nulla prorsus interueniente rixa aliaue irascendi causa interficit, poenam ordinariam haud effugiat, quum porro odium transitorium vel occultum in eo quoque adesse queat, qui se amicum simulat, aut antea reuera amicus fuit, hocque iudicis inuestigantis sollertia rarissime detegat, disquisitionem illam in homicidio indirecte doloso aequae superfluum existimo. Pariter quidem calculo meo comprobare ambigo assertum, quod §. 8. coronidis loco addidit, animum indirectum ad homicidia simplicia tantum pertinere, et, si quando eum qualificato concurrat, hoc conditionem suam exuere et tanquam simplex considerari: si quis enim alteri vulnerationem mandauit, necem expresse prohibens, aut si quis spoliis causa vulnus infligat, mors vulnerati autem praeter opinionem accedat, nihil sane impedit, quo minus assassinium et latrocinium dolo indirecto commissum dicamus; recteque doctrinam de animo indirecto etiam ad reliqua criminum genera ICtis recentioribus extendi persuasus sum. Has interim differentias ad essentialia haud referenda esse, cuius patebit.

IV. A NETTELBLADTIO in eo tantum dissentior, quod scientiam inquisiti, mortem aequae facile, ac quem assequi cupiebat finem, delicti sequelam fore, necessariam haud censeam. Rationes asserti, quas §. 9. et 11, exhibet, male cohaerent. Quamuis intentio-

nem cum eo dicas volitionem eius, propter quod agens agit; neutquam tamen intentio directa dici potest, qua id intenditur, propter quod agens agit, hoc enim cum notione generis vnum idemque est, nec differentiam specificam continet; aut indirecta, qua agens per se non vult, quod ex actione sua sequitur, caet. in hac enim definitione a notione generis, cui differentia specifica tantum addenda erat, penitus receditur, atque contradictionis in adiecto notam vix effugiet volitio eius, quod quis per se non vult. Nec magis ad stipulor. asserto, volitionem non intelligi, nisi praevia cognitione eius, *ad quod dirigenda*: dummodo enim factum et scopus a consecrariis factum concomitantibus distinguatur, illico conspicitur, cognitionem et volitionem facti et scopi, cum cognitione et volitione consecratorum confundi a). Contraria potius sententia amplectenda videtur, quum in quovis homicidio indirecto sufficiat, *praeter intentionem* delinquentis mortem subsequutam esse. Accedit, quod cogitationes inquisiti, nisi sponte et sincere illas confiteatur, erui nequeant, omnem licet iudex adhibeat diligentiam, adeoque in regula dubiae maneant: et quod loquutio, *aeque facile*, non possit non maximas semper difficultates generare, quum exacta aequalitas consecratorum concipi non possit.

a) Si cui haec obscura sint, illa cum *diff. cit.*, cuius argumenta iisdem fere verbis repeto, comparet.


§. 6.

Ex iis, quae hucusque disputavi, me quidem iudice colligere licet, homicidium ex dolo indirecto commissum recte dici, *quoties delictum dolosum levius ex indole facti, cuius consecraria ab arbitrio delinquentis haud pendent, eius causa fuit.*

§. 7.

Impugnauit hanc doctrinam, quae enim LEYSERO et NETTEBLADTIO opposuit, non minus mihi contrariantur, his argumentis ANONYMVS, cuius §. I. mentionem feci: 1) *dolum non nisi in eo adesse, qui actionem deliberato animo suscipit, deliberationem autem non concipi, nisi consecraria, saltim proxima et consueta, perspiciantur, (pag. 346.)* 2) *dolum in hac specie non ad integrum factum, quod omnia consecraria comprehendit, sed ad eius partem tantummodo pertinere, (pag. 349.)* 3) *in eo, qui animum occidendi indirectum habuisse dicitur, animum occidendi plane deficere, his itaque vocibus non genus in suas species sed aequiuocum in sua aequiuocata distingui, (pag. 353.)* 4) *distinctionem hanc legibus haud comprobari (pag. 356.)*. Hisque argumentis tantum confidit, vt distinctionem reiicere, et homicidia ex dolo indirecto commissa ad classem homicidii culposi referre non dubitet: felicem se praedicans, si his armis chimaeram istam extirpare contingat.

Verum mihi non omnino satisfecerunt hae rationes. 1) *Dolum et deliberationem differre, dubio caret, et licet omnis deliberatio, quam apposite eminentiorem doli gradum nominabis, sine dolo non sit, haec tamen thesis conuerti nequit, dolo potius nunquam absque deliberatione est. Non modo vsus loquendi auctori aduersatur, sed etiam art. 137. C. C. C. contrariam sententiam probauit, homicidium ex impetu irae, dolo tamen, commissum ab homicidio deliberato separans. Pariter deliberationis obiectum non solum consecraria actionum sunt, sed etiam modus et media, aut reliqua argumenta pro et contra militantia: fieri itaque potest, vt deliberans*



de consecrariis actionum plane non cogitet, sed aliis meditationibus occupetur. Vt taceam, non omnino liquere, quanam consecraria proxima et consueta dicenda sint, praeprimis in actionibus, quarum consecraria a voluntate agentis non dependent. Hoc itaque argumentum veritati haud consentaneum esse persuasus sum. Concedo, quod experientia teste saepius ad factum prouolemus, cuius consecraria aut ignoramus, aut defutura speramus, aut auerti posse credimus: sed precario asseritur, in his casibus dolum abesse. Quoties animus delinquendi extra dubium est, toties dolum negari nequit: nec diuinatione opus est, an delinqueus de consecrariis cogitauerit, et qualia praeuiderit. E contrario 2) facilis largior, non integrum delictum sed partem eius tantum dolo suscipi: sed delictum, quod ex parte dolosum est, mere culposum dici nequit. Fieri potest, ut etiam in homicidio directo doloso simul culpa delinquentis concurrat: at natura delicti dolosi non immutatur. Pariter 3) largior, in homicidio, quod ex animo occidendi indirecto commissum dicitur, si verba captare velis, animum *occidendi* deficere. Sed hoc argumentum nomen solum spectat, rem ipsam intactam relinquit: simulac loco *animi occidendi* indirecti denotatio generalior *doli* indirecti substituitur, obiectio euitari potest. Plura eiusmodi in iure nostro toleramus nomina non satis congrua: sic ut unicum exempli causa commemorem, substitutio pupillaris pro parte tantum est substitutio, et ex accidenti, si scilicet pater substituens nihil, quod ad substitutum perueniat, relinquit, aut filium simul exheredem scribit, plane non est substitutio: sed quis quaeso eam ob causam nomen immutabit. Denique licet 4) tantisper concedam, distinctionem ipsam et nomen in legibus nostris non occurrere, de quo capite infra dicendi locus erit, salua tamen res est. Plura sunt iuris

iuris criminalis dogmata, quae claris legum effatis defendi nequeant, sed ex principiis generalioribus deriuantur, et interpretationis doctrinalis ope suppleantur. Dummodo itaque aliis rationibus idoneis probari potest distinctio ista, silentium legum non oberit a).

a) Audorem huius scripti Ictum haud esse suspicor. Haesitat enim nonnunquam, ubi omnia plana sunt, et quae praeter effata LEYSERI et NETTELBLADTII ponderanda erant, cuncta fere neglexit. A scopo meo interim alienum est, omnia, quae non satis accurate dicta sunt, notare.

§. 8.

Notionem homicidii indirecte dolosi satis, ut opinor, ab obiectio-
nibus et dubiis vindicaui, ut eiusdem defensio suscipi queat: quoniam
autem non proficit, notionem et distinctionem effingere, sed usum ea-
rundem practicum simul demonstrare oportet, huius quoque ratio ha-
benda. Usus vero distinctionis in eo conspicuum dicunt, quod ani-
mus indirectus ad poenam capitalem sufficiat, CARPZ. nr. 28. LEY-
SER med. 4. BOEHMER §. 7. et NETTELBLADT §. 44. a),
adeoque ulteriori inquisitione non indigemus, simulac de eo constat.
Tanti sane est hoc inquisitionis compendium, ut attendi mereatur.
Haud raro enim in foro obueniunt exempla homicidarum, qui ani-
mum occidendi constanter negant, at animum vulnerandi vel alio
modo leuiori delinquendi vltro consentunt, aut, si hunc quoque ne-
gent, eiusdem multo facilius, quam animi directi, conuinci possunt.
Quodsi in his casibus ulteriori inuestigatione animi directi et anxia
probationum conquisitione, hisque, quod saepissime euenit, deficien-
tibus, medio eruendae veritatis opus est, non modo processus pro-
trahitur

trahitur et sumtus augentur, sed et nonnunquam aliae exoriantur difficultates, praecipuis circa adhibitionem tormentorum et iurisiurandi purgatorii. Has autem ambages saepe numero euitamus, si in confessione aut probatione animi indirecti acquiescere licet.


§. 9.

Vt iustum in hac controuersia iudicium feramus, ante omnia ambiguitas dictionis eliminanda est. Longe scilicet diuersa sunt, *poenam capitalem* et *poenam homicidii* directe dolosi *ordinariam* in hac specie defendere. Posterius CARPZOVIO et LEYSERO placuisse videtur: prius tuetur NETTELBLADT, in vtraque specie capitalem, sed non eandem, poenam probans; vtrumque confundunt BOEHMER et ANONYMVS, quorum tamen ille poenae capitalis patrocinium, hic refutationem suscepit.

§. 10.

Incipiamus ab argumentis ANONYMI. Poenam capitalem 1) *in legibus fundatam esse negat*, (pag. 368. 371.) et 2) *fini poenarum aduersari obseruat*, *plura delicta gradu diuersa eadem poena coercere*. (pag. 372.) Sed primum argumentum facile refellitur. Licet enim non modo *l. 1. C. ad Leg. Corn. de Sic.* et *art. 137. C. C. C.* perperam allegari concedam, sed etiam *l. 15. pr. D. eod.*, *l. 6. §. 6. D. de re milit.*, *l. 4. §. 14. D. vi bon. rapt.*, *c. fin. de homicid. in 6to*, et *art. 132. et 148. C. C. C.*, quae non minus laudari solent, nihil, quod ad stabiliendam hanc thesiam conducere possit, continere persuasus sum; binae tamen supersunt leges, ab auctore neglectae, quae homicidio indirecte doloso expresse vltimum supplicium statuunt, scilicet

scilicet l. 6. C. ad L. Jul. de vi, et l. 38. §. 5. D. de poen., quas
 auctorem silentio praeteriisse miror, quum a NETTELBLADTIO
 §. 37. non allegentur solum, sed et verbotenus descriptae sint. Eas-
 dem et hic inferere placet. In priori quoniam, inquit Imperator,
 multa facinora sub uno violentiae nomine continentur, quum, aliis
 vim inferre certantibus, aliis cum indignatione resistentibus, verbera
 caedesque crebro deteguntur admissae, placuit, si forte quis vel ex
 possidentis parte vel ex parte eius, qui possessionem tentauerit, interentus
 sit, in eum supplicium exerceri, qui vim facere tentauerit et alterutri
 parti causam malorum praebuerit, et non iam relegatione aut depor-
 tatione insulae plectatur, sed supplicium capitale excipiat. Altera
 his verbis concepta legitur: qui abortionis aut amatorium poculum
 dant, etsi dolo non faciant, tamen quia mali exempli res est, humilio-
 res in metallum honestiores in insulam amissa parte bonorum relegan-
 tur: quodsi eo mulier aut homo perierit, summo supplicio afficiuntur.
 Homicidium, quod in his legibus capitis poenae subiicitur, indubie
 indirecte dolosum est. Sive enim I. delinquens alterius possessionem
 violenter inuadat, siue abortionis poculum vel philtrum propinet, cae-
 des tamen hominis in votis haud fuit, quum abactio partus, nisi mater
 simul perierit, homicidio in legibus Romanorum haud aequiparetur.
 Habet contra animum delinquendi, quum rem lege poenali prohibi-
 tam aggressiatur. Pariter II. in dubium vocari nequit, haec molimina
 incerti euentus plena esse periculi, quum possessori vim vi repellere
 liceat, et medicamina, quae abortum procurant, aut amorem conci-
 lare perhibentur, innoxia haud sint. Quum denique III. aliis ex
 rationibus satis pateat, mortis poenam locum non inuenire, si non
 ex ipsius facti qualitate, sed per accidens homo occisus sit, omnia
 requirit



requisita homicidii indirecte dolosi in speciebus propositis adesse in aptico est. Neque maioris momenti est argumentum secundum. Non nego, homicidium ex dolo directo perpetratum maius delictum, indirecte dolosum minus esse: sed haec relatio ultimum supplicium non aliter impedit, nisi simul affirmare audeas, omne homicidium directe dolosum infimum tantum poenae capitalis gradum comitem habere. Simulac concedis, quaedam homicidia directe dolosa rotam mereri, nihil impedit, quo minus idem crimen animo indirecto commissum gladio vindicetur. Quin nec rationi nec legibus adeo contrarium videtur, duobus delictis gradu diversis vnam eandemque poenam assignare. Criminum enim longe plures sunt gradus quam poenarum; euitari itaque nequit, vt duo delicta non omnino aequalia aequali tamen poena afficiantur. Homicidium indirecte dolosum medium inter directe dolosum et culpa lata commissum occupat locum: multo propius tamen ad prius accedit, quam ad posterius, quod ab omni intentione delinquendi vacuum est: vituperandus itaque non est, qui poenam homicidii directe dolosi eligit, si poena intermedia deficit.

§. II.

Attamen nec sententiam eorum amplecti audeo, qui poenam ordinariam homicidii directe dolosi propugnare non dubitant. Quamuis ex iis, quas Spho praecedenti exposui, rationibus quadantenus defendi possit, mitior tamen sententia magis placet. Leges allegatae ultimum quidem supplicium comprobant, sed nec genus poenae capitalis definiunt, nec omnes homicidii indirecti species generali sanctione comprehendunt. Liceat itaque benigniorem interpretationem praeferre, et homicidio indirecte doloso eam poenam decernere, quae poenam eius-

eiusdem homicidii directe dolosi proxime subsequitur. Quodsi posterius poena rotæ expiandum fuisset, poena gladii prius vindicet: sin posterius capite plectitur, prius poena arbitraria morti proxima coerceatur: eademque proportio in reliquis casibus obseruetur. Simulque poenam homicidii culpa lata commissi eoque mitigemus, vt a poena homicidii indirecte dolosi adhuc recedat. Sic seruamus principium illud generalius, quod in delictis gradu diuersis poenam quoque eodem gradu diuersam exposcit: et sic optime legum placita cum effatis Doctorum conciliabimus. Nec obstat opinio NETTELBLADTII; interpretatio enim art. 137. ab ipso proposita iustis rationibus firmari non potest, sed lex ista rectius cum KOCHIO §. 455. de homicidio præmeditato et subitaneo intelligitur. Renunciare quidem oportet, hac explicatione admissa, abbreviationi litis, quæ prima distinctio ni occasionem dedisse videtur: neque tamen inutilis ista dici poterit, quum poenæ diuersitas diuersarum quoque specierum distinctionem exigat.

§. 12.

Nihil est, quod his meditationibus addere opus esset. Si quis de probatione animi indirecti ex qualitate armorum lethalium corollarium expectauerit, sciat, me cum BOEHMERO sentire, qui ad art. 137. §. 1. monuit, genera instrumentorum, quibus homicidium perfectum esse constat, facto doloso nil addere aut detrahere, adeoque perinde esse, gladio, cucuma, globulo ignifero, veneno lethum quis intulerit.

C

§. 13.

§. 13.

Restat, ut eorum, quae hucusque de homicidio in specie dicta sunt, applicationem ad reliqua crimina paucis attingam. Notionem generalius formari, si loco homicidii quoduis delictum gravius substituitur, vel me non monente intelliges. Nec ratione poenae difficultas intercedet, si ea principia sequeris, quae §. 11. proposui: quoduis enim delictum dolo indirecto commissum medium locum inter idem delictum dolo directo et culpa lata susceptum tenet, poena itaque intermedia iure defendi potest. Eo solum casu, si lex doli directi et culpae latae poenam exacte praescribat, et intermedia desiciat, prior eligenda est. Maioribus dubiis implicantur, qui vel in animo nocendi, non semper delicto, quia saepius facto licito, cohaerente genus quaerunt, vel *l. 1. C. ad L. Jul. de vi, et l. 38. §. 5. de poen.* aut *art. 137. C. C. C.* interpretatione extensiva ad reliqua delicta transferre satagunt, ut itaque ex hac etiam parte explicatio nostra se commendet.

P. P. D. 24. DECBR. 1787.




ULB Halle
004 517 601

3



TA → OL **f**
nur 1+8 verknüpft





B.I.G.

Farbkarte #13

21

IO. CHRIST. ESCHENBACH,
PROF. IVR. ET ACAD. RECTOR,
DIES FESTOS
NATIVITATEM
SALVATORIS MVNDI

IN MEMORIAM REVOCANTES
PIE CELEBRANDOS

COMMENDAT.

1787

IVNCTA EST
DE DOLO INDIRECTO
DELINQVENTIVM
IN PRIMIS HOMICIDARVM
COMMENTATIO.



KÖNIGLICH
UNIVERS.
ZVHALLE

ROSTOCHII,
LITTERIS ADLERIANIS.

18

1787 2.